

# **S. PETRI DAMIANI S. R. E. CARDINALIS OPUSCULUM VICESIMUM SEXTUM. CONTRA INSCITIAM ET INCURIAM CLERICORUM.**

## **ARGUMENTUM**

**Sacerdotum inscitiam, imperitiamque singularem, in sacris quoque rebus incuriam, et negligentiam, seu potius contemptum religionis graviter detestatur: et haec omnia quam sint tam ipsis sacerdotibus, quam reliquorum hominum ordinibus, quorum salus illis commissa est, perniciosa, diserte ostendit: itemque quam cauti debeant esse episcopi in talibus ad ecclesiasticas dignitates promovendis; ne peccata eorumdem ad ipsos redundent. Quod in extrema parte episcopo, ad quem scribit, et diligenter commendat.**

**Domno V. reverentissimo episcopo PETRUS peccator et monachus.**

**Quia te, vir reverentissime, sacerdotii culmen in Ecclesia tenere conspicio, inesse quoque tibi sacerdotalem animum fiducialiter credo, dolorem cordis mei, qui me de sacerdotibus cruciat, tibi potissimum communicare decerno. Per episcopalis enim torporis ignaviam ita nunc presbyteri litterarum reperiuntur expertes, ut non modo eorum, quae legerint, intelligentiam non attingant, sed syllabatim quoque vix ipsa decurrentis articuli elementa balbutiant. Et quid jam pro populo in suis precibus supplicat, qui quod loquitur ipse velut alienus ignorat? Scriptum est enim: «Qui ignorat ignorabitur (I Cor. XIV.)» Et cum Apostolus obsequium nostrum rationabile esse praecipiat (Rom. XII), quomodo illic rationabile erit obsequium, ubi is, qui offert, oblationis suae non concipit intellectum? Cumque Deus omnipotens in offerentibus mentium magis vota**

consideret, quam strepitum vocis attendat; quid in suis obtinere precibus valeat, qui quod nescit, implorat? Quibus quid aliud evenire putandum est, nisi quod illis sacerdotibus contigerit, quos post captivitatem Israelitici populi rex Assyriorum in urbibus Samariae constituerat, et divini cultus caeremonias ignorabant? Nam cum nescirent Deum juxta legalium mandatorum observantiam colere, leonum eos rabies perimebat. Scripturae siquidem haec verba sunt: «Nuntiatumque est regi Assyriorum, gentes quas transtulisti, et habitare fecisti in civitatibus Samariae, ignorant legitima Dei terrae; et immisit in eos Dominus leones, et ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terrae (IV Reg. XVII).» Petrus autem dicit: «Quia diabolus tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret (I Petr. V).» Sacerdotes ergo, qui Dei legitima nesciunt, leonum dentibus exponuntur; quia nimirum illos malignorum spirituum rabies devorat, qui sacrificiorum cultui temerariis ausibus insistentes, qualiter Deus rite colatur, ignorant. Sicque funguntur officio sacerdotum, ut sacerdotalis officii nesciant sacramentum. Et sicut per illorum imperitiam factum est, quod Scriptura testatur: «Unaquaeque, inquit, gens fabricata est Deum suum, posueruntque eos in fanis excelsis, quae fecerunt Samaritae; gens et gens in urbibus suis, in quibus habitabant (IV Reg. XVII).» Ita nunc per sacerdotum ignorantiam, qui docere Dei populum nesciunt, fieri dolemus: ut scilicet alii quorum Deus venter est, et terrena sapiunt, luxuriam colant (Philip. III); alii avaritiam, quae est idolorum servitus, venerentur (Ephes. V); alii rapinis, alii perjuriis, alii homicidiis, alii veneficiis sacrilega devotione deserviant; et sic diversis criminibus, tamquam simulacris, et sculptilibus obsequium servitutis impendant. Unusquisque cujus opus facit, illius et servus appellatur, de quibus dicit Apostolus: «Quia tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt,

**et servierunt creaturae potius quam Creatori (Rom. I).» Qui nimirum per fidem, quam tenent, Ecclesiae parietibus includuntur, sed per reprobae vitae meritum, extrinsecus sunt. «Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant (Tit. I).» Fidei quippe verba praetendunt, sed impietatis operibus inhianter insistunt. Unde et illic legitur: «Fuerunt igitur gentes istae timentes quidem Deum, sed nihilominus et idolis suis servientes (IV Reg. XIV).» Quos utique redarguit Veritas ipsa, cum dicit: «Nemo potest duobus dominis servire (Matth. VI).»**

## **CONTRA INSCITIAM ET INCURIAM CLERICORUM**

### **CAPUT PRIMUM**

**Quod imperiti non sunt ad sacerdotium promovendi.**

**Cum ergo per sacerdotum vecordium [vel etiam sacerdotum haereticorum] imperitiam plebs indocta depereat, par fuerat, ut episcopalis gravitas a talium se promotione suspenderet, nec alienos excessus in se temeraria praecipitatione transferret; praesertim cum Timotheo Apostolus dicat: «Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis (Tim. V).» Quisquis enim vel turpiter lapsum, vel divinae legis ignarum ad sacrum provehit ordinem, ejus se peccatis involvit, cui peccandi materiam tradit: et non modo his se, quibus ille jam involutus est criminibus obligat, sed his etiam, quae commissurus est, per anticipationem obnoxium parat.**

**Est aliud, quod mihi de sacerdotibus saecularis ordinis displicet; quia sicut saecularibus mista regionariae civilitatis habitatione collimant, ita nihilominus plerique ab eorum conversatione et inconditis moribus non discordant; curis saecularibus indifferenter inserviunt, ab otiosi se sermonis ineptiis non compescunt;**

imo per lites et jurgia frequenter a proximorum suorum charitate resiliunt, et cum livoris, vel cujuslibet terrenae concupiscentiae flammam in suis pectoribus fervere non nesciunt, venerandis tamen altaribus se impudenter ingerunt, et ab offerendi sacrosancti libaminis ministerio non recedunt. Non attendentes, quod filii Aaron idcirco coelestis ignis incendio concremati sunt, quia alienum ignem offerre in Dei sacrificio praesumpserunt: «Arreptis, inquit Scriptura, Nadab, et Abiu filii Aaron thuribulis suis, posuerunt ignem, et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis praeceptum non erat (Levit. X);» moxque subjungit: «Et egressus ignis a Domino devoravit eos, et mortui sunt coram Domino (Ibid.).» Nam cum ad offerendum Deo terribilis sacramenti libamen accedimus, cavendum valde est, ne alienum ignem, hoc est, libidinis flammam, vel cujuscunque vitii fomitem inter salutare hostias deferamus. Sed ille potius ignis in nostrarum mentium thuribulis ardeat, illa cor nostrum divini amoris flamma succendat, quam Dei spiritus per invisibilem gratiam nostris visceribus administrat. Admonendi sunt itaque qui sacris altaribus ministrare disponunt, ut non modo cor ab aestuantium passionum igne custodiant, sed etiam linguam, quae inter Deum et nos quodammodo mediatrix est, a supervacui sermonis levitate compescant. Petrus enim (Matth. XXVI; Marc. XIV; Luc. XXII; Joan. XIII), quia ream suam, linguam scilicet, deliquisse cognovit, ejus inter se et Deum tanquam mediatrix habere patrocinium recusavit; sed dum amare flevit, reconciliationis suae spem in lacrymarum interventione constituit, et oculis, quibus non peccaverat, veniam impetravit. Sit ergo usque ad missarum peragenda mysteria saliva linguae nostrae virgo vel casta, ut vel se sub virginali taciturnitatis censura coerceat, vel sub pudicae quodammodo locutionis moderamine sobria verba depromat.

**Illud etiam quantae confusionis opprobrium est, quod nonnulli circa sacri altaris utensilia tantae negligentiae sunt, et tam segnis incuriae, ut stanneos, vel etiam supparis cujuscunque metalli calices longo situ scabredinis inhorrescere patienter aspiciant; in squalido linteo Dominicum corpus offerant et involvant; et quod non dignaretur potens quilibet, qui tamen vermis est, propriis adhibere labiis, in hoc isti corpus non verentur imponere Salvatoris. Quid porro de conscissis ac putrescentibus sacrorum altarium prandeis, quid de diversis vasis ad ecclesiastica ministeria necessariis, quid denique de sacerdotalibus eloquar indumentis? Quid postremo de codicibus dicam, in quibus nimirum haec ipsa quoque legere inoffense non possumus, quae tenaci adhuc memoria reservamus? Quae nimirum omnia, oculis subjecta cernentibus, et levibus excutiunt risum, et sapientes provocant ad lamentum. Unde primae dignitatis sacerdotibus valde cavendum est, et terribiliter formidandum, ne quod ab illis, qui videntur subesse, delinquitur; ab his qui potioris sunt gradus, et quibus haec corrigenda sunt, requiratur. Nullus plane mortalium, ut existimo, majus aliquid in divinis peragit sacramentis, quam ipsi quoque qui saecularis sunt ordinis sacerdotes. Esto siquidem, quod patriarchae, vel metropolitae quilibet, et episcopi consecrent, divinum chrisma conficiant, et caetera, quae suis specialiter competunt privilegiis experimenta percurret. Sed neque episcopus, neque chrisma, neque aliud quid in ecclesiasticis sacramentis majus quam corpus et sanguis est Salvatoris. Ea ergo, quae potiora et sublimiora sunt in Ecclesia, presbyteri cum pontificali dignitate participant. Et quamvis suis quique limitibus jubeantur esse contenti, iidem ipsi qui sunt in quibusdam suppare, in excellentioribus rebus inveniuntur aequales.**

## **CAPUT II**

**Quod nullus gravius peccat quam presbyter malus, vel imperitus [vel haereticus].**

**Nullus igitur gravius convincitur peccare quam presbyter, qui vel per imperitiam, vel reprobam vitam, dum indigne ministrat, quantum ad se salutaris victimae sacramenta contaminat. Regi plane, vel sublimiori cuique personae si quis per vitium detractionis obloquitur, vel etiam in diripienda, sive demolienda rerum suarum facultate grassatur, facile redit in gratiam, si digne satisfaciens emendat offensam. At si manibus excedit, si in ejus personam audacter prosilit, si hostiliter irruit, quia non pecuniaria, sed criminalis est causa, nihil ab eo aliud exigitur, quam vindicta: et non jam inter eos de reparatione sequestrae pacis agitur, sed de sola dumtaxat augendi feneratoris ultione tractatur. Ita nimirum aliud est in Deum per diversos modos humanae fragilitatis excedere, aliud in sacrosancti corporis ejus et sanguinis oblatione peccare. Sicut aliud est promulgata regiae legis edicta negligere, aliud ipsum specialiter regem vibrato propriae manus jaculo sauciare. Multis nempe sceleribus plebs Israelitica se frequenter immiscuit, sed numquam se tam crudeliter polluit, quam tunc cum Dominum crucifixit. Et certe qui Dominicum corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium Jesum particeps esse convincitur. Quibus nimirum expavescenda nimis est apostolica illa sententia, qua dicitur: Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes (Hebr. VI). A nullo plane Deus omnipotens majoris injuriae praejudicium tolerat, imo deterius nemo peccat, quam sacerdos, qui prohibentibus canonibus indigne sacrificat. Aliter in quocumque modo peccantes quasi Dominum in**

rebus ejus offendimus; indigne vero sacrificantes, velut in personam ejus manus injicere non timemus, cum scriptum sit: «Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo?» (I Reg. II.) Eant ergo nunc presbyteri, et pro lucris hujus vitae sacris se altaribus ingerant, pro suo suaeque consanguinitatis affectu ex fidelium oblatione ditescant; non videlicet ut pupillis ac viduis alimenta provideant, non ut subsidia peregrinantibus subministrent, sed ut sibi, vel suis turpia lucra convectent. Eant, inquam, et se suosque dumtaxat demissi sui acquisitione reficiant, ut postmodum medullis suis ignis aeterni voraginem pascant. Quantae scilicet damnationis est eos, qui peccata populi comedere prohibentur, ex acquisitis rebus non codices emere, non ornamenta, vel utensilia suis Ecclesiis providere, sed in necessitatis, vel necessitudinis sumptus cuncta prodigere? Praesertim cum haec idcirco sacerdotibus conferantur, ut ipsi pro populo precibus ac votis insistere, ejusque debeant peccata portare. Hinc est quod Eleazar, et Themar filiis Aaron Moyses ait: «Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, qui Sancta sanctorum est, et data est vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, et rogetis pro ea in conspectu Domini? (Levit. X).» Sed cum passus sit Dominus in cruce pro salute mundi, nunc mactatur in altari pro unius commodo et facultate presbyteri. Tunc crucifixus est pro totius populi multitudine, nunc quasi pro unius homuncionis utilitate salutaris hostia videtur offerri. Isti plane sanctorum Patrum, qui dum in sacerdotali ordine floruerunt non legitimi filii, sed potius dicendi sunt mamzeres [mamzer: nothus, spurius], atque ideo non immerito inter eorum non connumerantur haeredes. Illi siquidem, juxta Hieremiam, nutriebantur in croceis; isti, proh dolor! amplexati sunt stercora (Thren. IV).

### CAPUT III

## Quis sit vere sacerdos.

Hic plane jure fungitur sacerdotio, qui regulis non obviat Patrum, qui paternum non violat institutum, unde Moyses ait: «Offerat similam calidam in odorem suavissimum Domino sacerdos, qui patri jure successerit (Levit. VI).» Ille quippe sacerdos patri jure succedit, qui sanctorum Patrum ingenuitatem in conspicuis operibus exprimit, qui majorum suorum prosapiam per spuriae conversationis ignominiam non confundit; alioquin quisquis ille est, qui velut a titulis proavorum, et clara generositate degenerat, qui se non legitimum, sed adulterinum vel extraneum alienis moribus repraesentat, ejiciendum se de sacerdotio evidenter indicat. Unde et in libro Esdrae de quibusdam dicitur: «Quia quaesierunt scripturam genealogiae suae, et non invenerunt, ideoque ejecti sunt de sacerdotio (I Esdr. II);» quibus et hoc protinus interdictum est, ut non comederent de sanctis sanctorum. Sicut ergo illi, qui ingenuitatem venerabilium Patrum sanctae conversationis honestate conservant, in dignitate sacerdotalis officii merito perseverant: sic e diverso qui a praecedentium Patrum degenerant meritis, dignum est, ut etiam paternae priventur officio dignitatis. Et qui facti sunt a Patrum suorum claritate dissimiles, in paterno non maneant officio sacerdotes; et nullatenus in eorum jura succedant, a quorum nobili ingenuitate degenerant. Quos omnes velut ab una persona per Osee prophetam Dominus reprobatur, dicens: «Quia scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi; et oblitus es legis Dei tui, obliviscar et ego filiorum tuorum; et secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo, peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum; et erit sicut populus, sic sacerdos; et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei (Osee IV).» Nolo tot eorum enumerare flagitia, quae vel in oblatione mysterii, vel inter ipsa quoque



regenerationis humanae perpetrant sacramenta: videlicet in scrutiniis, in symbolis atque in baptismalis lavacri sacramento. Omitto panem in salutare hostias convertendum, qui nonnumquam ante fit mucidus, quam sanctificetur oblatum: ipsum quoque mysterium non intra dies octo consumitur, sed plerumque ad omnipotentis Dei injuriam in mensem tertium reservatur. Praetereo quod aliquando aqua vino in eucharistia non miscetur, et sic quodammodo per errorem occulti schismatis a Christo populus separatur. Haec, et his similia taedet ultra protendere, ne dum diutius ista prosequimur, Christianae religionis opprobrium texere videamur.

## CAPUT IV

Quod episcopi vigilantes esse debent in coercendis clericorum flagitiis [praesertim haereses].

Unde satagendum est sanctis episcopis, ut his malis, quae in necem Christiani populi grassantur, occurrant; et apostolorum opera per sacerdotes, qui modo sunt destituti non permittant, nec tam arduum Christi patientur perire laborem propter augendam in terreno quaestu paucorum hominum facultatem. Interim quod mens scattet, suppressere volo, nec valeo: scintillam zelus excutit, dum caminum conscientiae dolor incendit. Quid enim erit de quolibet supremae damnationis episcopo, qui lapso cuique presbytero tollit lucrum, et sacrificandi reddit officium? Iste jam non communicat peccatis alienis, sed auctor existit: imo tanquam Judas Iscariotes, tradit impiis manibus Salvatorem propter vilis pecuniae quantitatem; Christum venali commercio distrahit, et pro amore pecuniae tradit auctorem vitae. Et iste protinus omnium criminum reus, pro quibus ille fuerat sacerdotalibus infulis exuendus.

**Ut ergo stylus ad hoc, unde digressus est, redeat, videtur nobis, si placet, hoc episcopis utendum esse consilio, ut indignos ac turpiter lapsos administratione suspendant; super eos autem, qui permanserint, idoneos a latere suo viros, qui eos debeant frequenter invisere, et custodire constituent. Cui simile rex etiam Assyriorum fecit, cum sacerdotem ad instruendos caeteros Samariam destinavit: «Ducite,» inquit, «illic unum de sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis, ut habitet cum eis, et doceat eos legitima Dei terrae (IV Reg. XVII).» Qui nimirum sacerdos, sicut Scriptura prosequitur, habitavit in Bethel, et docebat quomodo colerent Dominum. In Bethel ergo, hoc est, in domo Dei, dignum est potiore quempiam praesidere, qui sacerdotalis officii regulis caeteros possit imbuere. Nam valde timendum est, quod per Moysen dicitur: «Anima, quae peccaverit per ignorantiam de hostia et de universis mandatis Domini, quae praecepit, ut non fierent, quidpiam fecerit; si sacerdos, qui est unctus, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino (Levit. IV).» Ex quibus verbis illud formidolose notandum est, quod ait: «Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum;» quia nimirum sacerdos, qui legem Dei nesciendo delinquit, suis etiam populum in peccatis involvit, et quos doctus relevare potuerat, secum simul per imperitiam gravat.**

**Tu vero, venerande vir, quem et vita praeclarum, et doctrina conspicuum: et quod his praestantius est, spiritualis zeli fervor reddit accensum, sic aliis juniorum memineris delegare custodiam, ut et ipse frequenter huc illucque discurrere non omittas. Faciens quod hortatur Salomon in Proverbiis: «Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, ne dormitent palpebrae tuae (Prov. VI).» Illud quoque non excidat, quod postmodum dicit: «Erue eos, qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare non cesses**

**(Prov. XXIV).» Ubi scilicet et excusatio tollitur, cum subjungit: «Si dixeris: Vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit (Ibid).» Sic ergo super commissum gregem insignis pastor invigila, ut et ignavos opiliones ab eorum cura removeas, et ipse cum David insurgentium ursorum atque leonum rictus infringas (I Reg. XVII): sive etiam cum Abraham postquam caesis Amalecitis fratrem tuum Loth de jugo captivitatis eduxeris (Gen. XIV), ad Melchisedech regem justitiae cum triumphali gloria revertaris.**

**Sit nomen Domini benedictum.**